AD QVODLIBETARIAM
QVÆSTIO MEDICA.

Matutinis agitanda diſputationibus in ſcholis Medicorum, die Iouis 17. Ianuarij Magiſtro Iacobo Leto Præſide.

An lien vitæ?

HOMO, animal temperatiſſimum, morbis tamen opportuniſſimum; omnium corporum tam cœleſtium, quàm elementarium exemplar & norma, multis tametſi animalibus, ſenſibus inferior, tribus partibus principibus regitur, hepate, corde, cerebro; & tribus ſpiritibus; totidémq; facultatibus ſpecie differentibus, naturali, vitali, animali. Quibus vigentibus duntaxat, vitam viuit breuem; ſecus longam: quibus tamen ſolis, vita (primus actus animæ) non debetur; ſed partibus etiam miniſtris, in quarum ſingulis particulis tota anima.

ANima quippe rationalis ſola homini actum dat; non anima vegetatiua, non ſenſitiua è potentia materiæ educta, imperio naturæ, ſubminiſtrante ſpiritu & calore: quibus natura opera ſua ex principijs contrarijs; licet interdum monſtra & in homine & extra hominem. Mola an non monſtrum? At lien (verè opus naturæ) adeo neceſſarius vitæ, vt ſine eo viuat nemo.

LIENEM habent hepar habentia animalia, ſolo ſanguine nutrita, quem iecur ſolum gignit ſui parenchymatis ἰδιοσυγκρασίᾳ: ſed minùs tamen aptum ad alendum, priuſquam defœcatus fuerit. Quod facit imprimis lien; cuius actio propria eſt, attractio humoris melancholici per ramum ſplenicum; vt cyſtis felleæ, bilis flauæ, per cyſticas; renum, ſeri, per emulgentes.

ETenim niſi ſanguis limo depuretur, plurimi inde affectus præter naturam emergunt. Si in primas venas confluat, morâ putreſcens febres melancholicas accendit: ſi in viſcus aliquod, ibi ſcirrhum gignit: ſi per vniuerſum corpus feratur, elephantiaſim: ſi denique ad cutem totius corporis emunctorium, arquatum nigrum aut certè liuidum colorem inducit. Ab his malis & multis alijs corpus ſaluum euadit, ſi lien (qui ridere facit) ſuo officio rirè fungatur.

QVÆ cum ita ſint, ridiculi iſti, qui aſſeuerant lienem in corpore humano nullum habere vſum; propterea quòd fortè in aliquo deſideratur, qui non modò iocinori (quod totum corpus ſibi aſſimilat) expurgando inſeruit: ſed etiam χύλωσιν propriam ventriculi actionem iuuat; appetentiam ſtomachi excitat; imò & ipſum cor viuificat.

Ergo lien vitæ?

Aſſerebat Lutetiæ IOANNES MERLET Conſtancienſis annò Domini M. DC. XIII.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. Georgius Arbaut.
M. Stephanus de la Font, Prof. Reg.
M. Carolus Bouuard.
M. Claudius Charles, Prof. Reg.
M. Quirinus le Vignon.
M. Dionyſius Guerin.

M. Ioannes le Mercier.
M. Nicolaus Ellain.
M. Guillelmus de Baillou.